



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. || Lvdovici || De Ponte Vallis-||Oletani, È Societate ||  
Jesv Theologi.|| De || Christiani hominis || Perfectione In  
Qvo-||libet eius Vitæ genere.|| Tomi Qvatvor.||**

Quorum argumenta ex S. Rvth Historia præcipué desumpta

**Puente, Luis de la**

**Coloniæ Agrippinæ, 1625**

Cap. VII. Duplex Confessio, Particularis, & totius vitæ Generalis: quibus temporibus vtraque facienda: & monita quædam, vt rectè illæ fiant.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39652**

seruari, vt nec iota vnum, aut vnus apex præteratur; hoc est ita omnia præcepta seruari, vt neque eorum minimum per *iota* significatū, nec exigua circumstantia significata per *apicem*, negligatur: ita maximè est operæ pretium confiteri quicquid delictum est: nec iota, nec apice prætermisissis, sed expressis, omnibus *speciebus* peccatorum, quas in ipsis præceptis indicauimus, & integro eorum *numero* in singulis speciebus & *circumstantiis* omnibus, quæ illa comitantur: ita vt quisque faciat quod MORALITER poterit, ad omnia in memoriam reuocanda. DEVS enim nunquam obligat ad impossibile, nec vult homines anxijis scrupulis irretire, neque enim confessionem instituit ad animas intricandas, sed ad extricandas, & expediendas.

*Accurate sed mortaliter confitendum.*

NOTA.

CAPVT VII.

DVPLEX CONFESSIO, PARTICVLARIS, ET totius vitæ Generalis: quibus temporibus vtraque facienda: & monita quadam, vt rectè illæ fiant.



Vm diuinum de vita nostra iudicium esse nobis debeat exemplar eius, quod nos facere debemus: opere pretium erit considerare: quemadmodum duplex est extremum Dei iudicium, alterum *particulare* in fine vitæ vniuscuiusque, in quo vltima definitiua, & irreuocabilis sententia fertur, alterum vniuersale in fine mundi: vt, quæ prius prolata erat sententia: ratificetur & confirmetur. Ita esse duplicem Confessionem in iudicio sacramentali, alteram, omnium peccatorum, quæ prius non erant confessæ: in qua prima sententia profertur irreuocabilis, quemadmodum supra est dictum: alteram generalem omnium etiam peccatorum totius antea vitæ, licet iam antea essent confessæ: vt prima sententia, quæ de ijs fuit prolata, ratificetur magis & confirmetur. Sed hæc Confessio nunquam est sub præcepto. nam Christus ipse Dominus eiusque Ecclesia nunquã obligat ad Confessionem peccatorum nisi semel, exceptis tamen tribus casibus. *Primus* est, quando in particulari Confessione aliquod mortale peccatum non fuit manifestatum, præ pudore aut ignorantia affectata, aut ob neglectū Conscientiæ examen, cum certo periculo quod propterea Confessio non esset futura integra. *Secundus* est, quando particularis Confessio facta fuit absque vero dolore, & firmo proposito ea deferendi; aut si iussisset Confessarius restitui bona, aut honorè, quæ abstulit; aut deferere occasionè peccandi, ad quod tenebatur: & quamuis dixerit se id facturū: non tamen habuit verū propositum exe-

*Duplex iudicium.*

I.  
*Generalis Confessio quando fit sub præcepto.*

2.

Tom. 1.

Tt

quendi.



3.

quendi. *Tertius* casus est quando Confessarius nō habuit sufficientem iurisdictionem absoluedi à peccatis. In his enim tribus casibus necessariò est repetenda Confessio de peccatis aliàs confessis: quòd prior illa non fuerit recta; ac proindè sententia in ea prolata fuerit inanis. Et duobus primis casibus repetendæ sunt omnes Confessiones factæ post ultimam rectè factam; & exprimenda culpa in eis admissa, ob talem defectum.

Generalis  
confessio in  
Morse.

EXTRA hos casus, etsi nulla sit obligatio Generalem Confessionem instituendi: solet tamen DEVS noster speciali vocatione & inspiratione nos permouere ad eam faciendam duobus potissimum temporibus: *alterum* est, cum nos videmus in periculo mortis constitutos. cum enim imminet diuinum iudicium, in quo vniuersim reddenda est ratio omnium, quæ gessimus in toto vitæ decursu: prudentiæ omnindò erit, illud præuenire factò alio generali iudicio Sacramentali, in quo fiat generalis Confessio de omnibus peccatis totius antea vitæ: vt maiori cum securitate coram diuino tribunali comparere possimus, iuxtà illud cuiusdam amici Iob dictum: *a Iudicare coram illo, & expecta eum: nã, S. Gregorio teste, eò securiùs licebit supremi Iudicis aduentum expectare: quò fueris sollicitior in iudicando te ipsum in eius conspectu.*

a Iob. 35. 14.  
Lib. 25. Moral.  
c. 5.

In conuersi-  
one vita.

Vtilitates  
eiusdem.  
Tract. 1. c.  
19. S. 1.  
b Baruch. 4  
28.

1.

*Alterum* tempus est, cum aliquot elapsi sunt anni vitæ valdè inordinata & laxioris, in qua multæ fuerunt recidiuæ, aut tepiditates prolixiores: si enim tunc efficaciori vocatione impellat cor DEVS, ad perfectam valdè *conuersionem*, & vitæ illius mutationem, præclarum ad eam principium, & solidum erit fundamentum generalem confessionem valdeq; exactam de omnibus peccatis, vsq; ad id temporis commissis, instituere. Valdè enim delectatur DEVS (vt alibi est dictum) si dum ad ipsum *conuertaris, decies tantum* facias, atque ab eo *errans* discessisti, vt non solum facias, quod necessarium omnindò est ad veram tuam conuersionem; sed spontè etiam addas, quicquid opus est ad hoc, vt illa sit valdè perfecta. neque enim magnum quid est, si in hoc excedas limites tuæ obligationis: qui toties aliàs defecisti in ijs, ad quæ tenebaris. Et cum lex antiqua iusserit, eum, qui *conuerm furatus esset, quatuor pro vna reddere*; & CHRISTVS ipse Dominus Noster, Zachariæ zelum laudauerit, quod *d redderet quadruplum, si quem defraudasset*, rationi consentaneum erit: vt, qui honorem, quem Deo debebas, Deo furatus fueris: eum in quadruplum restituas. vt idè non satis tibi sit, confessionem præceptam facere; sed eam etiam addas, quæ est consilij.

c Exod. 22. 1.  
1 Reg. 1. 6  
d Luc. 19. 8.  
Qui verita  
commissi,  
addas con-  
silia.

2.

Et cum Saluator tuus non satis sibi esse voluerit, id tantum facere, quod ad culparum tuarum remissionem erat necessarium; sed redemptionem suam fecerit valdè copiosam: imitare etiam illum, copiosam hanc addendo confessionem, qua gloriosæ eius redemptionis fructus copiosior tibi

commu-



communicetur. Quod valdè est conforme eiusdem Redemptoris nostri spiritui, quem ostendit in huius Sacramenti institutione: potestatem faciens, vt suprà est dictum, eadem peccata sapiùs confitendi, & ab eisdem absoluedi: vt copiosior gratia applicaretur, qua anima purificatur & perficitur.

PRÆTEREA: si cupis feruenter incipere: expedit rem aggredi à gloriosa aliqua tui ipsius victoria, quæ per luviusmodi confessionem obtinetur: qua (vt suprà perpendimus, pudor ille superatur, qui oritur ex omnium peccatorum manifestatione, non tunc solum, quando ad eorum veniam impetrandam, id est necessarium, sed etiam ad maiorem tui ipsius humiliationem; triumphumque ex tua superbia ducendum, & profundiores humilitatis radices iaciendas.

NAM, si totius vitæ anteactæ peccata simul ante oculos proponas: permoueberis ad maiorem cognitionem, tuique ipsius detestationem; & ad maiorem cognitionem misericordiæ Dei, qui tam diu te sustinuerit: ipseque dolor peccatorum vehementior erit: cum tot videas miseras, quæ illum excitent. Hac eadem via certiozem tibi facis & securiozem peccatorum veniam, & salutem tuam: id enim significare voluit Sapiens, cum dixit: *e de propitiato peccato noli esse sine metu; & s ne ferearis vsque ad mortem iustificari.* Denique si vitam nouam, eamque valdè perfectam inchoare intendas: par est exuere omninò vitam veterem, & semel rationes cum Deo tuo concludens, nouum in posterum librum rationum incipere, iuxta illud Michæ: *g decaluarè, & tondere super filios deliciarum: diluta caluitium tuum sicut aquila: quoniam captiuu ducti sunt ab hostibus tuis,* quasi dixerit: quemadmodum aquila omnes antiquas plumas, nulla prorùs retenta, exiit, vt nouas recuperans, volare meliùs possit, ita debes te omnibus superioris vitæ maleactæ operibus exspoliare, faciendo Confessionem quandam ita dilataram, vt omnia complectatur, quæ in veteri vita tibi acciderunt, vt sic reddat tibi DEVS *filios deliciarum tuarum,* sanctas scilicet cogitationes, & affectus pristinos; & h *repleat in bonis desideria tua, renouando, vt aquila iuuentutem tuam,* ad sic nouam hanc vitam inchoandam.

OB has quinque rationes & causas constanti consuetudine receptum est in Religionibus: (vt S. Bonauentura aduertit) vt in ipso primo Religionis ingressu confessionem generalem totius vitæ præteritæ instituat, qui statum Religiosum vult amplecti: vt sic, omnibus i *veteris hominis operibus* te exuat, & *nouum induat,* qui secundum DEVM creatus, iam incipiat Deo inferuire. Idem porrò meritò facerent, qui in seculo manentes feruens suæ conuersionis initium habere desiderant: imitantes Sanctum illū Regem, qui dicebat Deo: *k recogitabo tibi omnes annos meos in*

Christus su  
pererogauit.

3.  
Vince sepius  
te ipsum.

4.  
Collecta  
peccata plus  
compungat.

e Eccl. 5. 5.  
f cap. 18. 22.

5.  
g Mich. 1. 15.

Renouare  
vt aquila.

h Psal. 102.  
5.

In Spec. dis  
cip. p. 1. c. 1.  
i Ephes. 4.  
22.

k Isai. 38. 15



*amaritudine anime mea.* Tibi, inquit, ad tuam scilicet gloriam; & quia tu hæc mea recogitatione delectaris; vt qui in tuo conspectu omnia videntis verfer; vt tibi satisficiam, quem meis peccatis offendi; tibi que viuere incipiam, non verò amplius mihi, quemadmodum hætenus vixi. Hoc itaque spiritu cogitare, & iterum recogitare debes omnes annos vitæ tuæ: non simul, & quasi in cumulo omnes, sed singulos: examinando primùm quæ in vno anno tibi euenerūt; & postea, quæ in altero: & sic deinceps. discurrendo quoque mente per *loca, officia, occupationes, occasiones, & socios* quos habuisti: nõ tamen aliorum vitam & facta inuestigando. non enim ait Scriptura, vt aliorum annos recogites, sed tuos. cui cogitationi adiungendus est dolor tantæ amaritudo animæ: quæ prauam quamcunque cogitationem, aut voluptatem ex carne tunc ortam omninò demergat.

Ob easdem causas recepta etiam est laudabilis consuetudo in aliquibus Religionibus: (& in nostra Societate talis est lex) vt singulis annis, aut etiam singulis semestribus generalis Confessio instituat ab vltima generali quæ facta erat: ad supplendos si qui fortè fuissent defectus in particularibus: vt quasi de nouo, & maiori feruore spiritus via perfectionis inchoetur.

EXTRA prædictos casus caute omninò agendum est circa generalium Confessionum repetitionem: vt nec facillè fiant, nec consulatur. solent enim huiusmodi repetitiones potius nocere scrupulosis; præcipuè personis melancholicis, & fœminis, & ijs, qui magnum lutum irarum, & carnis voluptatum euoluere deberent. ex quibus noxij valdè vapores exsurgerent, & emanarent. Ideoque securius est, postquam semel ritè facta est huiusmodi peccatorum Confessio, ea deslere: quoad particularia verò quæ in eis fuerunt, penitus obliuioni mandare.

#### §. I. Confessiones particulares.

DE particularibus Confessionibus res est satis nota, quibus temporibus eam faciendi, peccatori incumbat obligatio. Si enim diuinum ius attendamus, solum obligat præceptum confessionis, quando adest peccatum mortale, idque in duobus temporibus. PRIMVM est articulus mortis, aut irobabile eius periculum. si enim eo tempore huic præcepto non satisfiat: non superest aliud, quo impleri possit: ideoque periculo se exponit peccator moriendi, priusquam ei satisficiat, a *qui autem amat periculum* (vt ait Sapiens) *in eo peribit.* ALTERVM tempus est Sacrae communionis, ad quam, (si Confessarius adsit) nõ sufficit etiã Contritio: sed Confessio etiam fieri debet, vt suo loco dicemus. Quod si Sacerdos ex legitima aliqua causa Sacrum faceret, antequam confiteri posset mortale peccatum, cuius erat reus:

decla-

Examen.

Contritio.

Annua  
confessio.

Non semper  
repetenda  
Confessio.

Confessio  
necessaria  
in morte.

Eccles. 7

ante Sa-  
ramenta



declarauit Sacrum concilium Tridentinum eum debere *quam primum confiteri*. Quod aliqui Doctores etiam ad seculares omnes extendunt. In alio etiam casu obligabit præceptum confessionis: quando scilicet ea medium esset necessarium ad grauissimam aliquam *tentationem* superandam, aut imminuentem lapsum præueniendum, ei videlicet, qui experientia didicisset, se hoc medio, huiusmodi lapsum euitare. Verum huiusmodi casus rarus est, nec obligatio huiusmodi est propria Confessionis: eadem enim obligatio erit, in eumbendi orationi, aut ieiunium seruandi: quando id esset ad similem finem necessarium.

PRÆTER hæc tempora statuit Ecclesia Sancta, omnes debere ad minimum semel in anno confiteri: quemadmodum ordinariè faciunt, etiam qui valde sunt tepidi, in hebdomada Sancta. cum enim circa idem tempus obliget præceptum Sacrae communionis: eodem tempore vtrique præcepto volunt satisfacere. Quod si ex necessaria aliqua causa annus totus traheret absque confessione, manet tamen semper obligatio huic præcepto satisfaciendi. non enim est simile de audiendo *sacro*, aut seruando *ieiunio*, quod si feruari non potest die præscripto, non superest obligatio præstadi, eo elapso, quod præscriptum erat, sed est simile præcepto de soluendis *debitis*: cui, si ad præscriptum diem & terminum non satisfiat, necesse est primo quoque tempore, quo solui poterit, reddi. Vult enim Ecclesia Sancta non differri ultra annum, redditionem huius debiti peccatorum nostrorum Deo, eademque per hoc Sacramentum reconciliationem.

SED Christiani, qui profectus sui spiritualis aliquam curam gerunt, non satis habent, quod huic præcepto satis faciant: sed student etiam singulis mensibus confiteri, imbecillitatem suam & inconstantiam agnoscentes: Nam (vt ait Ecclesiasticus) *b sicut luna mutantur*: que dū incipit decrefcere, & aliquid de sua luce amittere, *c minuitur in confirmatione*, quasi diceret, nõ desistit, donec omninõ lumen amittat; ita homines, cum incipiunt in peccata venialia labi, non sistunt donec in aliquod ruant mortale. quod (vt S. Gregorius ait) pondere suo ad aliud & aliud trahit: nisi pœnitentia præueniatur. Qui tamen, quemadmodum in huiusmodi defectione lunam imitantur; ita volunt etiam in bono eandem imitari. vt sicut ipsa, postquam lumen omninõ amifit, sensim illud recuperare incipit, ita vt singulis mensibus noua luna oriatur: ita ipsi reparare studeant & renouare singulis mensibus lumen gratiæ per sacram Confessionem. Ad eum morem, quo DEVS olim iubebat, in principio mensis, prima scilicet die celebrari festa d' *Neomenia*; hoc est nouæ lunæ, *qua dies erat clangoris & tubarum*. ad quod etiam Dauid hortabatur dicens: *e buccinate in neomenia tuba in insigni die solennitatis vestre: quia præceptum in Israel est, & iudicium Deo Jacob. Quem in modum*

ess. 13. c. 7  
Nauar in  
Manu. c. 2.  
n. 8  
in tentatio  
ne.

Semel in  
anno obli-  
gat etiam  
post Pascha

b Eccl. 27. 12  
c c. 43. 7.  
Lib. 25. Mo-  
ral c. 6.  
Conf. sso  
mensuum.

d Num. 29. 1  
e Psal 80. 4



meritò deberes festum diem singulis mensibus celebrare: vt præteritum decrementum noua luce reparares, exercendo in te ipsum iudicium per sacram confessionem; & petendo à Deo peccatorum remissionem. quia is est insignis dies solénitatis, qua noster Saluator multum delectatur. Et nihilominus etiam est valde expediens, dies Ecclesiæ *solenniores* hac solennitate celebrare: vt magis Deo placere studeas,

*In fessis.*

*Officiuana  
confessio.*

*In spec. disc.  
p. 3. in Regu-  
lis Nouit. c.  
3. De refor-  
mar. Nouit.  
c. 12.*

*Mortalia  
statio con-  
firienda.*

*Contritio  
incerta.*

QVOD si maiores progressus in spiritu facere cupias: ad rem erit, sacram confessionem decimo quinto, aut octauo quoque die frequentare, ad maiorem puritatem obtinendam, & gratiæ lumen cum maiori firmitate conseruandam: acquiescendo prudentis Confessarij directioni. Sanctus Bonauentura ait: magnam esse felicitatem, *quotidie* aut tertio quoque die confiteri. Quamuis hoc Sacerdotibus potius, Missam quotidie celebrantibus, aut religiosis de magna cordis puritate sollicitis, conuenit: qui cœlesti lumine illustrati intra se ipsos etiam minimas culpas notant, quemadmodum solis radius efficit, vt minimi atomi in aëre videantur; & dolor sensusque, quo ex eis afficiuntur, inuitat & impellit ad hoc remedium frequentandum. Si tamen sis timoratus, & contingat impingere in aliquod mortale peccatum, aut de eo dubites: non prius dormitum te conferre deberes, quam illud, si possibile esset, omnino confitereris. Si enim incumbere non auderes, habens in sinu aut ipso lecto serpentem: quomodo audebis cum mortali peccato in anima somno te dederere? Nam esto; vera contritio sit sufficiens ad peccati remissionem, quemadmodum supra est dictum: sed quis nouit an talis dolor ad veram contritionem pertingat? Cum igitur ad id sit facile, & in promptu medium, quo damnum hoc reparetur: prudentiæ est, statim illud adhibere, vt sis securior

### §. 2. *Monita pro Confessione.*

VT Confessiones, siue generales sint, siue particulares; siue ex præcepto, siue ex consilio, vtiliter fiant: conditiones illæ sunt adhibendæ, quas Doctores communiter indicant: quarum aliquas hic enumerabimus, quas S. Bonauentura diuersis in locis plurimum commendat.

*In spec. disc.  
p. 2. c. 3. §.  
de refor. No-  
uit. c. 12.*

I.

*Reuerentia.*

PRIMA est magna interior & exterior erga confessarium REVERENTIA, atque si pœnitens coram ipso Christo Domino, quem Confessarius refert, compareret; & cum ipse, dum absoluit, non dicat: DEVS te absoluat, sed: ego absoluo te, nomine scilicet Christi: par est, te cum eo loqui, tanquam cum ipso Christo. Cum etiam tanta reuerentia iudicibus & senatoribus in suis subsellijs sedentibus exhibeatur, eò quòd Regiam ipsam personam ibi gerant: quanto ergo maiorem exhibere oportet ijs, qui DEVS

per-



personam in hoc iudicio gerunt: oportet itaq; te teum agnoscentem, dete-  
cto capite, vultuq; inclinato, & oculis, sicut publicanus ille, demissis, vtrūq;  
genu flectere; verbisq; vti quæ magnā ostendant reuerentiā. Nec tamen sa-  
tis tibi esse existimare debes, eam reuerentiā, quæ ex hac cogitatione ori-  
tur: sed excitanda quoq; est viua fides, qua supremum ipsum iudicem, Deū  
trinū & vnum præsentem ibi esse cernas; audientem, quæ dicis; & quæ fa-  
cis, aspicientem: non solūm exteriū, sed interiū etiam in corde; & ita  
cōfiteri corā Cōfessario debes: vt id ipsum multō magis corā ipso met DEO  
præsentem facias. viuida enim hæc consideratio non solūm te ad reuerentiā  
exhibendam impellet; sed etiam ad omnia, quæ nosti, plenē & clarē mani-  
festanda; atque si ipsimet Deo, qui meliū omnia nouit, quā tu ea aperires.  
Licebit etiam præsentem illos duos testes intueri: qui in animæ tuæ iudicio  
postea comparebunt: custodē scilicet *Angelum*, & hostem tuum *Dæmonem*:  
vt alterius præsentia spiritum tibi addat, ad dicendum, quod oportet; alteri-  
us verō, timorem incutiat, ne ijs desis, quæ facere teneris; tacendo scilicet,  
aut faciendo aliquid, quod possit idē hostis postea tibi obijcere.

*Dei præsen-  
tia.*

*Angelus.  
Dæmon.*

2.

*Pura inten-  
tio.*

HINC secunda oritur conditio, *PVRITAS* scilicet intentionis in omni-  
bus, quæ ibi sis facturus, aut dicturus: non solūm cum ipsam Confessio-  
nem auspicias, sed in toto quoque eius decursu. Non loquor hic de crassa  
illa intentione eorum, qui ad confessionem accedunt spiritu quodam ser-  
uili, timore scilicet infamiæ, aut excommunicationis: qui nihil aliud in  
hoc quærunt, quā vt Ecclesiæ præcepto exteriori illa actione satisficiant;  
aut vt faciant, quod vident omnes facere: ne minoris ipsi, quā alij fiant;  
Tales enim manifestum dant indicium, quā parui faciant animæ suæ salu-  
tatem: cui in eo opere primum locum non attribuunt. Sed quamuis bona  
intentione sineque sancto, quem illa requirit eam auspicias: attendendum  
est tamen, ( vt Sanctus Bonauentura monet ) ne gloria inanis sese ingerat,  
vt bonam cupias apud confessarium tuum opinionem obtinere, eò quod  
aperte de tuis peccatis confitearis, aut ex bono opere, quod occasione aperi-  
endi superbiam, siue inanem gloriam, quā ex eo habuisti, refers; aut dum  
beneficium à Deo acceptum narras, vt tuam ingratitude fr̄ tearis; aut si  
aliquis hypocrisis gradus inseratur, cum tuum peccatum nimium exaggeras,  
vt humilis iudicaris. Nam Sanctus BERNARDVS dixit; esse fictam quan-  
dam confessionem, cum quis multa mala de se dicit; vt non tam veritati,  
quā humilitati id tribuatur.

*De grad.  
humil.*

*Breuitas.*

Ex pura hac intentione tertia oritur conditio, vt confessio *VERBIS* fiat  
quā *BREVISSIMIS*, absque detrimento tamen veritatis, & claritatis, ita  
vt tria, quæ superflua sunt in verbis reijciantur. *Primum* ne multa generalia  
dicantur, quæ non alium fructum afferunt, quā defatigare Confessarios,

& vt



1.  
Euitentur  
generalia.

2.  
Sub Condi-  
tione.

3.  
Historia.

4.  
Ordo.

Graviora  
prius expli-  
ca.

Refert Dif-  
cipulus.

5.  
Contritio.

a Ose 14. 3.  
b Leuit. 1. 5

& vt plurimum aliqua falsa inuoluunt, vt si quis confiteretur: peccauit quinque sensibus, & in septem peccatis capitalibus, & in quatuordecim misericordiae operibus. *Secundum*, confiteri quaedam sub conditione, quae omnino essent omittenda. vt si quis diceret: si iuravi, si hoc dixi, si illud feci: haec enim non sunt materia absolutionis: Nam licet esses certus, te ea non fecisse: posses verè ea dicere, quare solùm sunt talia dicenda, quando verè de eis dubitatur. *Tertium* est, narrare historias, aut narratiunculas, quae ad culpam declarandam parùm, aut nihil conferunt: & vt plurimum talibus multa noua culpa inferuntur: quae cedunt in detrimentum tertij, aut ipsius Confessarij audientis, aut poenitentis ea narrantis.

HANC verborum breuitatem iuuat quarta conditio **ORDO** scilicet & **CONNEXIO** in aperiendis peccatis: seruando scilicet decem Decalogi mandatorum ordinem, aut septem capitalium peccatorum, aut distributionem in cogitationes, verba, & opera. quamuis bonum sit consilium, si qua res sit grauis, & quae praeter alijs poenitentem premat, aut maiorem afferat pudorem, ab huiusmodi re Confessionem inchoare: vincendo scilicet statim in ipso initio maximum, quem habeat hostem: ex cuius victoria expeditior postea sit cum reliquis hostibus congressus. Nam si culpa huiusmodi grauior humano aliquo respectu ad finem Confessionis reijciatur: quia timor, qui statim non vincitur; augetur; fortè crescat adeò vt obstruat os, ne manifestetur, aut explicetur, vt oportet: què admodum euenisse fertur misero cuidam homini, quem confitentem aspiciēbat vir quidam Sanctus, qui in spiritu vidit, ex ore poenitentis, prout ille peccata sua confitebatur, prodire plures bufones: & cum magnus quidam iam iam ad os peruenisset, vt exiret, tantam ille difficultatem sensit, vt iterum deglutiret. in quo momento reliqui omnes, qui exiuerāt, iterum sunt per os ingressi. Ex qua visione intellexit vir Sanctus: peccatorem illum timore aut pudore victum, graue aliquod peccatum reticuisse: quamobrem reliqua iam confessa in anima remansisse, ob defectum integræ confessionis.

**DENIQUE** plurimum refert, si sacrificium cordis contriti & humiliati verba externa ita comitetur, vt peccata ipsa cum magno pudore, dolore, ac sentu exprimantur; Confessioque ipsa sit instar beneficij illius, quod Oseas Propheta a *vitulos labiorum nostrorum* appellat. Nam quemadmodum in antiqua lege, *b vitulus, qui in holocaustum offerebatur; primum immolabatur, deinde detracta pelle, artus eius infrusta concidebantur: quae lota super altare ordinabantur, & Sacerdotes subiciebant in altari ignem, donec omnia adolerent in suauē odorem Domino*: Ita etiam cum hoc Sacramentum suscipere vis, Deo offers quoddam holocaustum: *immolas vitulum, quando contritionis cultro peccatum detestaris, & occidis opera veteris hominis; excorias autem, aut pel-*

lem de-